

COLLEGII MEDICO-CURIOSI SPECIMEN V.

Continuatio Priorum.

PER Leviathanem dein Crocodilum potius, quàm Balænam intelligendam apud Jobum. c. 41. v. 4. & 5. ex Circuitu Dentium, cujus mentio ibi fit, haud obscurè patet. Iis enim pleraque Cete carent; majora præcipuè, uti Enarratiæ Belgica antè citata habet; ubi additur: Fauces antrorsum in acumen non protenduntur; sed crassis ac latis labiis prædita sunt; ipsas etiam 6000. libras pendentibus. Et quamvis Cetacea aliqua nostro seculo observata etiam fuerint Dentata; ecquis tamen asseret, Jobo tum in suâ regione cognita fuisse? At Crocodili maxillam utramque Dentes manifestò plurimi armanant, in pectinatam serratamvè seriem dispositi, albi, robusti, acuti, quibus densissima etiam Animalium Ossa conterit; quos verò, falsum est, ex vivo Animalis sumtos, dextros scil: Viris, sinistros Fæminis alligatos, Venerem stimulare. Porrò Jobi c. 41. v. 6. 7. 8. Squamas pellis durissimas, compactissimasque, & hinc natam Invulnerabilitatem v. 18. 19. 20. expressam, quomodocunque etiam vulgò Interpp: se macerent, omnium minimè Cetis, maximè verò Crocodilis (excepto horum Ventre, ubi pellis tenerior est, sed Balenari tamen durior) convenire, Autopsia & Tactus docuit, pellem Crocodileam adeò rigidam, squamosoque spinosam experiens, ut vix globo Sclopeti facilè pervia sit; ut valdè apta videatur Versio Belgica, (Job. 41. v. 6.) quâ exstat: *Secr uynnemende (h. e. excipientes plagam) myn syne stercke Schilden.* Corium Crocodili crematum, cum amurcâ mistum, & parti amputandæ inunctum, carnem reddere adeò stupidam, ut ferrum non sentiat, exstat apud Wormium l. antè d. Contrà, Cutis Balænæ glabra est, facilè telorum nimbo à Nautis transfigitur, & vel cultello minimo etiam, quo penna scriptoriæ preparantur, transitum concedit. Denique non tam Balænæ, (utpote Limoso Maris alveo gaudens) quàm Crocodili (in littoribus Nili & Africæ reliquæ conspicui) diverticula in Vadis Salebrosis, (Job. 41. v. 21.) & eminentiis Coralliorum submarinis sunt. Ut
nunc